



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

3. Aspectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

4. Tangere partes inhonestas aliorum, sive ob delectationem, sive ob aliud, semper est mortale, propter iam dicta. Dixi primò (ob delectationem: semper enim excipimus necessitatem medendi, &c. vt *sup. cap. 3. §. 5. num. 49.* excipit etiam Sanch. *lib. 9. matr. d. 46. num. 12.* levitatem, & jocum; quod putavimus admitti posse (ait Silvius, 2. 2. *quest. 54. art. 4. concl. 3.*) si leviter, & quasi per transeuntem hoc fieret; non autem si omnino deliberatè, quia deliberatus, est nimis turpis, & periculosus.

Dixi secundò (aliorum:) nam si quis suas, ne libidine, ad calefaciendas, v.g. manus tangeret, multò minus ob necessitates occurrentes, non peccaret; quia tactus suarum partium non est tam excitativus, & libidinem, quam tactus aliorum. Ita Sanch. *loc. c. 14. Less. l. 4. c. 3. dub. 8. n. 60.*

5. Denique tangere catulos, feles, imò pueros, puellaque ob benevolentiam, &c. non est, ex se, nisi malus addatur finis, peccatum. Erat quidam certè malis moribus alioquin non imbutus, qui supra modum delectabatur canes, & similes bestias manibus contrectare (quod quidem serid fieri ab amantibus, & profitentibus castitatem mihi semper displicuit.) Insuper eorundem pudenda tangebatur, sibi complacens, ut aiebat, dare hanc delectationem catulo; imò & saepe, ita eadem perficiebat, ut semen bestia emitteret. Hic ergo petiit à me, an sine peccato id efficere posset; Profectò ab hac impura tractatione hominem absterui, ob periculum: ne in re delectatio, & commotio libidinosa confurgeret; Dixi præterea prodigere semen animalis non esse peccatum: sicut enim Domini ipsorum sumus, dum vivunt; ita impedire, ne eadem nascantur, possumus. Sed addidi, si id faciat ob meram curiositatem, levitatemque, experiatumque se nulla commoveri carnis suæ voluptate; non posse de mortali damnari: Sed certè de veniali: nam quod nullo crimine damnamus coniungentes animalia, ad filios procreandos, id est, quia tunc satis rationalis causa adest animalia propagandi. At si quis ob voluptatem etiam illam solam, quæ ibi persistit, faciat; me verè, ne incidat in mortale: quia tanta contrectatio pudendorum, quamvis animalis, tam serid facta ob sensibilem delectationem, principium ex se est impuræ libidinis. Neque mihi contrarij sunt, qui docent non esse mortale, bestiarum genitalia conficere: Ita Dian. *part. 2. tract. 17. resol. 379.* citans Sanchez *l. 9. matr. d. 46. num. 15.* non sunt, inquam, contrarij: quia ipsi solum ibi loquuntur, quando id fit ex curiositate; nos hinc, & idem Sanchez *ibid. num. 30.* loquimur, quando fit ad captandam illam voluptatem.

An scemina licitè permittant se tangi, diximus, cum de cooperatione amariæ nonnulla *sup. l. 5. c. 1. §. 4. d. n. 25.* notauimus.

§. III. Aspectus.

1. Inter tactum, & aspectum, sine dubio non vulgare discrimen intercedit; Tangere enim propius ordinatur ad libidinem, magis venerem: id est, spiritus generationi subservientes commover, magisque periculum ingerit foræ libidini consentiendi; quàm solum aspicere: Quare non immeritò minus peccato obnoxij sunt aspectus, quàm tactus.

2. Hinc primò, aspicere mulieris faciem, manus, crura, brachia, pectora, in summa partes eius honestas; non est ex se peccatum; quod si fiat ob delectationem in ipsa pura visione residentè, quam non libidinosa appellavimus, non erit saltem mortale; at mortale erit, si ob libidinosa. Ita Sylvest. *v. Curiositas, quest. 3. vers. 4.* Nau. *c. 26. num. 11.* Bonac. *de matr. q. 4. p. 10. num. 13.* Ratio est toties dicta. Aspicere autem partes inhonestas eiusdem, vel eandem nudam (idem dic, si mulier aspiat easdem partes viri, vel nudum eundem) serid, & sine necessitate (quæ tamen necessitas solet esse in Medico, &

similibus, &c.) multò magis, si ob voluptatem illi assistentem; propter coniunctionem egram cum delectatione libidinosa, vt ita sit propter periculum confusione, di, esset mortale.

3. Dixi (serid): quia breui tempore, & obiter, puto, ex loco remoto, vel interpolata opaca veste, non tenui velo curiositatis gratià prædicta aspicere non est nisi veniale: quia vt sic, non adest provocatio ad ulteriorem libidinem. Aspicere nudum cum, & eam, quæ sit eiusdem sexus, cum aspiciet, etiam diuersi sexus, si sit valde puer, puto item veniale, quia ex se non multum excitat ad venerem: illud ex his, & similibus præ oculis habet, An scilicet affectu sit ad libidinem, & an aspectus rei, vel actio sit eiusdem, vt in impuram libidinem vt plurimum influat, enim sic est, provocatio erit mortalis libidinis, sed non ita.

4. Hinc secundò: Serid aspicere duos turpiter committentes, à peccato mortali non libero; magis, si sit propter delectationem quamvis immodicam persistentem. At in eadem committione interuius vel earum genitalia conficere, præsertim obiter, & affectu ad libidinem; non puto esse mortale. Ratio eadem toties dicta.

5. Qui respiciendo mulieres in eis turpiter delectatur, an desiderio copula; an obligetur in Confessione conditionem mulieris explicare dixi in *Methodo Confessionis, lib. 2. cap. 7. §. 1. num. 4.* & infra repetam *lib. c. 3. num. 5.*

§. IV. Turpilium.

1. Turpia loqui, & turpia cantare, participantur illas species delectationum naturalem, libidinosa, non libidinosa. Si ergo hæc facias ad bonum finem, causâ, v.g. studij, &c. nihil peccas; si causâ delectationis non libidinosa, vt accidit, quando loquimur per iocum, vel per curiositatem narrationis, vt suauitatem potius, animo fallendi temporis, relevandique se à laboribus (semper secluso periculo vere libidinis) non est saltem mortale. At si cum delectatione obiecta ipsa, hoc est, ad res ipsas narratas graviter peccaminosas, vel cum periculo consensus in illam, etiam apertè mortale, quia tunc libidinosa est apertè voluntas. Aduertit autem meritò Salas, apud Cast. *trast. 2. d. 1. p. 10. §. 1. num. 5.* (item lege *infra, lib. 10. c. 1. num. 1. §. 13.*) conuinci plurimos consentire in delectationem turpium, seu obiectum turpium, sub prætextu artificialis carminis, vel Musicæ, quando carmina elegantiora tripie rebus, avidiores ad turpia; indicium sanè male ne prauæ affectionis: conuinci item latentem delectationem carnis ferri cum, qui frequentius, & libentius loquitur de occultis partibus corporis, vestibus, agrotationibus ad eas partes pertinentibus, quàm de rebus aliis. Denique similis peccati argui, qui metaphoris rebus turpium gaudet, & qui faciliè multa detorquet ad turpes sensus: quamvis enim hæc saepe excusentur ab inuoluntaria, vel quia obiectum, de quo agitur, non est adhuc obscenum; saepe tamen quia deliberatè procedunt ex affectu ad res, seu ad obiecta turpia, à mortali non liberantur.

Si aliis loquentibus, tibi illud turpilium, vel impura cantilena displiceat, seu non placeat, nec tamen loco discedas, nec eosdem reprehendas ob ruborem, imò etiam si (secluso scandalo, & animo te de illo peccato delectandi) rideas, vel quid simile facias: te non accuso peccati mortalis, quia ipsa erubescencia, non condemnanda ratio, pro tua excusatione est.

§. V. Turpia legere, scribere, representare, &c.

1. Qui libros legunt de rebus turpibus ex profecto agentes (præcindendo, an hi libri sint prohibiti, de qua te diximus *sup. lib. 2. in decal. cap. 1. §. 7. p. 1. modo*